

*De postprædicamentis.* 179

de Petro, tanquam subjectio singulari, non potest dici, quod sit homo & brutum, aut, quod sit videns & cæcus sanus & æger. De eodem autem universali opposita videntur dici posse, e.g. de animali, quod universale est, opposita hæc videntur dici posse, nempe esse hominem & esse brutum, recte enim dico, animal est homo, & animal est brutum.

7. Dicitur 3. *secundum idem*: quod scilicet opposita non possint dici de eodem subjectio quoad idem, i. e. quoad eandem partem vel naturam, vel rationem, e.g. de æthiope secundum idem, seu eandem partem, non potest dici *to album & to nigrum esse*, de Christo secundum idem seu secundum eandem naturam, non possunt dici hæc opposita seu disparata, nempe *Deum esse & hominem esse*: Si vero in subjecto attenduntur diversæ partes, vel naturæ vel alia atque alia ratio, opposita de eodem possunt dici, quamvis, an h. m. opposita sint, disquiri possit.

8. Dicitur 4. *eodem respectu*, e.g. servato eodem respectu hæc opposita, nempe *duplum & dimidium*, non possunt dici de numero quaternario, quamvis alio respectu ipsi possit tribui *to duplum*, si respectus habeatur ad duo; alio autem respectu *to dimidium* si respectus ad octo habeatur.

9. Dicitur 5. *eodem tempore*: e.g. eodem tempore hæc opposita, nempe *calidum & frigidum*

M 2

duo